



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de  
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum  
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium  
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico  
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore  
distinctus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agrippinae, 1684**

17. Exemptio si pendente lite revocetur, an lis ad Ordinarium revertetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

## QUESTIO XVII.

Exemptio si pendente lite revocetur, an lis ad ordinarium revertetur.

## SUMMARIUM.

1. Scholaris si post litem motam deserat  
Academiam, lis revertitur ad ejus ordi-  
narium. 2. Ubi acceptum est iudicium, ibi finire debet.

**D**ubitavisse videtur Imbertius, dum dicit, quod Scholaris si post litem motam deserat Academiam, quod lis ad ordinarium iudicem veniat remittenda. *inst. lib. 1. cap. 27. glo. 1.* & legatus causam receptam finire non potest egressus provinciam. *Flamin. de Resig. benef. par. 1. lib. 1. cap. 11. n. 4.* Frequenter autem supra inculcavimus validum sumi argumentum à Scholaribus ad Exemptos, velut & à Vassallis Clericis ejusmodique aliis, qui speciales habent iudices, id quod Felinus cum aliis à me superioribus in locis allegatis frequenter arguit *supra lib. 1. quest. 45.*

**C**ontrarium tamen concludendum est, quia ubi acceptum est semel iudicium, ibi finire sumere debet. *l. ubi ff. de iudicis*, etiamsi casus superveniat à quo incipere non potest. *cap. factum legitime de Reg. jur. in 6.* sufficit enim habitas tempore inchoatæ litis, licet postfacto contingat inhabilitas, id quod plurifariam exemplificat Francus *cap. statutum in pr. per tot. de Rescript. in 6.* Et late & doctè *Flaminus tract. de Resignat. benef. part. 1. lib. 1. qu. 11. per tot.* Imbertius nihil nos movet, nam ibi loquitur de translatione jurisdictionis in ordinarium per viam avocationis.

## QUESTIO XVIII.

Instantia cepta contra Exemptum, an transeat in illius heredem non Exemptum?

## SUMMARIUM.

1. 2. Instantia cepta & rescriptum transit in successorem. 4. Quando debeat attendi principium & non finis.  
3. Subsistente causa privilegii in vita defuncti, transit ad illius heredem. 5. Curari debet heres ad resumendum.  
6. Alioquin sententia esset nulla.

**Q**uod lis inchoata contra Exemptum transeat in illius heredem non Exemptum, probati satis potest iis auctoritatibus, quæ superius allatæ sunt eod. *lib. quest. 16. num. 5. & seqq.* Quibus addo pro regula, quod non modò instantia